MISSALE CLAUSTRONEOBURGENSE

Klosterneuburg, 14. bis 15. Jh. Seite 405r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=917
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

vnde necesse est: et hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram: nec esset sacerdos cum essent qui offerrent secundum legem munera qui exemplari et umbre deseruiunt celestium. sicut responsum est moysi cum consumaret tabernaculum. Vide inquit: omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Ex viii. ffacta est contentio. In vigilia sancti Jacobi lectio. Beatus vir qui inventus lectio sequitur

Beatus vir qui confidit in domino: et erit dominus fiducia eius: Et erit tamquam lignum quod transplantatur super aquas quod ad humorem mittit radices suas: et non timebit cum venerit estus. Et erit folium eius viride et in tempore siccitatis non erit sollicitum: nec aliquando desinet facere fructum. Dicit dominus omnipotens. Ex viii. Circuibat ihesus

In illo tempore. Secundum marcum. ciuita

Accesserunt ad ihesum iacobus et iohannes filii zebedei dicentes. Magister. volumus ut quodcumque petierimus facias nobis. At ille dixit eis. Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Ihesus autem ait eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt ei. Possumus. Ihesus autem ait eis. Calicem quidem quem ego bibo bibetis et baptismo quo ego baptizor baptizabimini: se-